



## **Magnum Bullarium Romanum, Seu Ejusdem Continuatio**

Quæ Supplementi loco sit, tum huicce, tum aliis quæ præcesserunt  
Editionibus, Romanæ, & Lugdunensi ...

Constitutiones Variorum Pontificum in præcedentibus Editionibus  
desideratas, summoque studio hinc inde conquisitas complectens

**Luxemburgi, 1741**

5. Romanum decet &c. Bulla contra abusum Clericorum, in Regno Angliæ:  
anno 1515.
- 

[urn:nbn:de:hbz:466:1-74514](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-74514)

beneficiisque, & officiis Ecclesiasticis priventur. Laici verò utriusque sexus, excommunicationis, & aliis pœnis juris tam Civilis, quam Canonici subiaceant.

Et ut omnes fidei Christiani, ac de fide male sentientes, cuiuscunque generis aut nationis fuerint, nec non hæretici, seu aliqua hæresis labe polluti, vel Judaizantes à Christi Fidelium cœtu penitus eliminantur, & à quocunque loco, & præsertim à Romana Curia expellantur, ac debita animadversione puniantur, statuimus, ut contra eos diligenti inquisitione ubique, & in dicta Curia maxime procedatur per Iudices per nos deputandos, & ejus criminis reos, & legitime convictos, debitis pœnis puniri, relapsos verò, absque ulla spe veniæ, aut remissionis affici volumus. Et cum Constitutiones, & ordinationes nostræ hujusmodi, quas pro nunc ordinamus, vitam, mores, Ecclesiasticamque disciplinam concernant, tam Officiales nostros, quam alios, tam in Romanâ Curia, quam extra ubique locorum commorantes imitari convenit, illis ligari, eosque ad earum observantiam inviolabiliter teneri volumus, atque decernimus. Et ne Constitutiones ipsæ aliis censuris, ac pœnis in contrarias per antiqua jura, & constitutiones impostis derogare in aliquo videantur, cum ad augmentum editæ, & excogitatæ fuerint, etiam declaramus, per earum dispositiones, ordinationesque nihil prorsus juri communi, vel Decretis aliorum Romanorum Pontificum ullatenus derogatum esse. Quinimodò si qua in eis, propter perverfam temporum, aut locorum, vel Hominum, corruptelam, vel abusum, aut quamcunque aliam causâ minime probandam, vigorem suum amiserint, ea ex nunc innovamus, confirmamus, & inviolabiliter observari mandamus. Quas nostras consultiſſimas Constitutiones, post duos Menses ab earum publicatione, ligare debere etiam decernimus, & declaramus, districtibus inhibentes, ne quis eas glossare, vel super eis commentaria, interpretationesque facere absque Speciali nostra, vel Sedis Apostolicæ licentia præsumat. Si quis autem ausu temerario contraverit, excommunicationis lætæ sententiæ pœnam eo ipso incurrat.

Nulli ergò omnino Hominum liceat hanc paginam nostrorum Statuti, sanctionis, reformationis, intentionis, ordinationis, exhortationis, monitionis, præcepti, voluntatis, innovationis, confirmationis, mandati, decreti, declarationis, & inhibitionis infringere, vel ei ausu temerario contraire. Si quis autem hoc attentare præsumperit, indignationem Omnipotentis Dei, & beatorum Petri, & Pauli Apostolorum ejus se noverit incursum.

Datum Romæ, in publica Sessione, in Lateranensi Sacro-Sancta Basilica, solenniter celebrata, Anno Incarnationis Dominicæ, Milleſimo Quingentesimo decimo quarto, tertio nonas Maji, Pontificatus nostri, anno secundo.

V.  
ExArchiv.  
Angliæ  
Rimer.  
Tom. 13.

Bulla contra abusum Clericorum in Regno Angliæ: anno 1515.

### LEO EPISCOPUS.

*Servus Servorum Dei, ad futuram rei memoriam.*

**R**omanum decet Pontificem providere, ut Clericali caractere insigniri volentes, illo bene utantur, ne quod in favorem bonorum inductum est, improbis delinquendi licentiam subministrat, ipsisque protectio in eorum excessibus tribuatur. Sanè nuper ad nostrum Relatio fide digna perduxit auditum, quod in Regno Angliæ quamplurimi primam Clericalem Tonсурam, & minores Ordines recipiunt, non ut ad Superiores Sacros Ordines

ascendant, sed ut excessus, & delicta liberius perpetrare, & Judicis Secularis forum declinare, & impunitatem excessuum hujusmodi obtinere valeant; Nam etsi dictam Tonсурam habeant, tamen revera actibus, & operibus vitam ducunt laicalem, & in suis delictis deprehensi privilegio se Clericali defendere, & Justitiam Secularem illudere conantur, ex quo improborum delicta remanent impunita, Clericorum Status decoloratur, ipsaque Justitia non modicum impeditur.

Volentes igitur de opportuno super his remedio providere, auctoritate Apostolica statuimus, & ordinamus, quod de cætero usque ad quinquennium, nullus in dicto Regno Clericali caractere insigniri possit, nisi etiam ad omnes minores, & Subdiaconatus Ordines simul promoveatur, vel de Beneficio Ecclesiastico simul provideatur, districtius, sub pena suspensionis à divinis eo ipso incurrenda, inhabentes locorum Ordinariis, & aliis quibuscunque Episcopis, & Archiepiscopis dicti Regni, vel in eo degentibus, ne dicto durante quinquennio contra Statutum, & ordinationem hujusmodi quovismodo directè vel indirectè venire, & aliquem Clericali caractere insignire præsumant, nisi eum etiam ad omnes minores, & Subdiaconatus Ordines simul promoveant, aut sibi de aliquo Beneficio Ecclesiastico provideant, & si contra fecerint contra Statutum hujusmodi, promoti à Judice seculari libere puniri valeant in omnibus & per omnia, ac si Clericali caractere minime insigniti fuissent; ac decernentes ex nunc irritum & inane, si secus super his à quoquam, quavis auctoritate, scienter vel ignoranter, contigerit attemptari.

Nulli ergò omnino hominum liceat hanc paginam nostrorum Statuti, ordinationis, inhibitionis, & Decreti infringere &c.

Datum Florentiæ, Anno Incarnationis Dominicæ, Milleſimo Quingentesimo, quinto decimo, pridie Idus Februarii, Pontificatus nostri, anno tertio.

Leo X. Pontifex concedit Carolo V. Hispaniarum Regi, dein Imperatori, ut numerum Equitum Ordinis Aurei Velleris ad quinquagenarium extendat; Variæque eidem Ordini confert privilegia.

VI.  
Ex Oper.  
Diplom.  
Miræ  
Tom. I.  
pag. 235.

### LEO EPISCOPUS.

*Servus Servorum Dei, ad perpetuam rei memoriam.*

**P**ræclaræ devotionis sinceritas, & eximia fidei constantia, quibus carissimus in Christo Filius noster Carolus, Castellæ, & Legionis, ac Aragonum, & Siciliæ Rex Illustris, & Burgundiæ Dux, fuisse Prædecessores Burgundiæ Duces, qui hætenus fuerunt in nostro, & Apostolicæ Sedis conspectu claruerunt, & idem Carolus Rex in dies splendere dignoscitur, nos excitant, ut in iis ei favorabiliter assistamus, per quæ Majestati suæ honor accedat, & sui Status securitas, ac ejus, & sibi devotarum personarum animarum, salus valeat provenire.

Sanè præfatus Carolus Rex nobis nuper exponi fecit, quod dudum quondam Philippus Dux Burgundiæ, piè ductus ad Omnipotentis Dei laudem, & gloriam, & ejus Genitricis gloriosæ Virginis Mariæ, & totius Cœlestis Exercitus honorem, nec non Fidei Christianæ tuitionem, & defensionem, unam laudabilem, & celebrem Confraternitatem, seu Societatem Nobilium Militum, sub titulo, seu denominatione Ordinis, aut Militiæ Velleris Aurei pro triginta Fratribus Militibus, & uno Capite, seu Primatè, qui pro tempore Dux Burgundiæ, & heres suus legitimus, ac in ordine trigessimus primus foret, nec non uno Cancellario,

Theſau-